Carmina

Venantius Fortunatus

Hymnus in Honore Sanctae Crucis

Vexilla regis prodeunt,
fulget crucis mysterium,
quo carne carnis conditor
suspensus est patibulo.

Confixa clavis viscera
tendens manus, vestigia
redemptionis gratia
hic inmolata est hostia.

Quo vulneratus insuper
mucrone diro lanceae,
ut nos lavaret crimine,
manavit unda et sanguine.

Inpleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
dicendo nationibus:
regnavit a ligno deus.

Arbor decora et fulgida,
ornata regis purpura,
electa, digno stipite
tam sancta membra tangere!

Beata cuius brachiis
pretium pependit saeculi!
statera facta est corporis
praedam tulitque Tartari.

Fundis arome cortice,
vincis sapore nectare,
iucunda fructu fertili
plaudis triumpho nobili.

Salve ara, salve victima
de passionis gloria,
qua vita mortem pertulit
et morte vitam reddidit.

De Ecclesia Parisiaca

Si Salomoniaci memoretur machina templi,
arte licet par sit, pulchrior ista fide.
nam quaecumque illic veteris velamine legis
clausa fuere prius, hic reserata patent.
floruit illa quidem vario intertexta metallo:
clarius haec Christi sanguine tincta nitet;
illam aurum, lapides ornarunt, cedrina ligna:
huic venerabilior de cruce fulget honor.
constitit illa vetus, ruituro structa talento:
haec pretio mundi stat solidata domus.
splendida marmoreis attollitur aula columnis
et quia pura manet, gratia maior inest.
prima capit radios vitreis oculata fenestris
artificisque manu clausit in arce diem;
cursibus Aurorae vaga lux laquearia conplet
atque suis radiis et sine sole micat.
haec pius egregio rex Childebercthus amore
dona suo populo non moritura dedit.
totus in affectu divini cultus adhaerens
ecclesiae iuges amplificavit opes;
Melchisedech noster merito rex atque sacerdos
conplevit laicus religionis opus.
publica iura regens ac celsa palatia servans
unica pontificum gloria, norma fuit.
hinc abiens illic meritorum vivit honore;
hic quoque gestorum laude perennis erit.

Ad Rucconem diaconum, modo presbyterum

Altaris domini pollens, bone Rucco, minister,
hinc tibi festinus mando salutis opus.
Nos maris Oceani tumidum circumfluit aequor,
te quoque Parisius, care sodalis, habet;
Sequana te retinet, nos unda Britannica cingit:
divisis terris aligat unus amor.
Non furor hic pelagi vultum mihi subtrahit illum
nec boreas aufert nomen, amice, tuum.
Pectore sub nostro tam saepe recurris amator,
tempore sub hiemis quam solet unda maris.
Ut quatitur pelagus quotiens proflaverit eurus,
stat neque sic animus te sine, care, meus.

Ad Gogonem cum me rogaret ad cenam

Nector vina cibus vestis doctrina facultas --
muneribus largis tu mihi, Gogo, sat es;
tu refluus Cicero, tu noster Apicius extas,
hinc satias verbis, pascis et inde cibis.
Sed modo da veniam; bubla turgente quiesco,
nam fit lis uteri, si caro mixta fremat.
Hic ubi bos recubat, fugiet puto pullus et anser
cornibus et pinnis non furor aequus erit.
Et modo iam somno languentia lumina claudo;
nam dormire meum carmina lenta probant.

Ad domnam Radigundem

Tempora si solito mihi candida lilia ferrent
aut speciosa foret suave rubore rosa,
haec ego rure legens aut caespite pauperis horti
misissem magnis munera parva libens.
Sed quia prima mihi desunt, vel solvo secunda:
profert qui vicias ferret amore rosas.
Inter odoriferas tamen has quas misimus herbas
purpureae violae nobile germen habent.
Respirant pariter regali murice tinctae
et saturat foliis hinc odor, inde decor.
Haequod utrumque gerunt pariter habeatis utraque,
et sit mercis odor flore perenne decus.

Item ad eandem pro floribus transmissis

O regina potens, aurum cui et purpura vile est,
floribus ex parvis te veneratur amans.
Et si non res est, color est tamen ipse per herbas:
purpura per violas, aurea forma crocus.
Dives amore dei vitasti praemia mundi:
illas contemnens has retinebis opes.
Suscipe missa tibi variorum munera florum,
ad quos te potuis vita beata vocat.
Quae modo te crucias, recreanda in luce futura,
aspicis hinc qualis te retinebit ager.
Per ramos fragiles quos nunc praebemus olentes
perpende hinc quantus te refovebit odor.
Haec cui debentur precor ut, cum veneris illuc,
meque tuis meritis dextera blanda trahat.

Quamvis te exspectet paradisi gratia florum,
isti vos cupiunt iam revidere foris.
Et licet egregio videantur odore placere,
plus ornant proprias te redeunte comas.

Vexilla regis prodeunt

Vexilla regis prodeunt
Fulget crucis mysterium
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.

Quo vulneratus insuper
Mucrone diro lanceae
Ut nos lavaret crimine
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine
Dicens In nationibus
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida
Ornata Regis purpura
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis
Saecli pependit pretium
Statera facta corporis
Praedamque tulit tartari.

O Crux ave, spes unica
In hac triumphi gloria
Auge piis justitiam
Reisque dona veniam.

Te summa Deus Trinitas
Collaudet omnis spiritus:
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per saecula. Amen.

Medieval Latin
The Latin Library
The Classics Page